

mente percipi possit, utpote quam solius ratiocinationis vi detegimus. Etsi enim mens & corpus æquè conserventur, sunt tamen quædam, quæ ad mentem solam pertinent, & à corpore non possunt attingi; cujus generis rerum actio illa esse videtur. Solius enim est Mentis, non corporis, quærere, *à quonam simus nos ipsi qui summarum Dei perfectionum ideam in nobis habemus*; & solius mentis respondere, *rem litam qua novit aliquid se perfectius à se non esse, ac proinde ab alio, &c.*

9. Ita cum quæritur, *an habeamus vim nos ipsos conservandi*, hæc quæstio non ad corpus, sed ad mentem dirigitur; cumque respondemus, *facile nos intelligere nullam vim esse in nobis per quam nos ipsos conserveamus*, mentis tantum responsio est, non corporis, ut & illius est addere, *illum in quo tanta est vis, ut nos à se diversos conserveat, tantò magis etiam seipsum conservare, vel potius nulla ullius conservatione indigere, ut existat.*

10. Itaque cum totum illud negotium à mente sive intellectu perficiatur, ac per solam ratiocinationem tantum in cognitionem conservatoris nostri deveniamus,
frustra